

1204 (1203) Februar 22 Münster.

[10]

Bischof Hermann II. von Münster schenkt zu seiner Memorie dem Kloster Wietmarchen einen Zehnten in den Bauerschaften Leschede, Mattenheim, Mehringen und Nthde, Kspl. Embsüren.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Herimannus, Dei gratia Monasteriensis episcopus, secundus. Omnium quidem sanctorum merita, quanto magis beatam Dei genitricem super choros angelorum omniumque celestium eminentem et cotidie pro nobis interpellantem, quam filius suus nichil negans honorat, honorare decet et venerari in hac valle lacrimarum, ut eius patrocinis sublevemur ad gaudia celestium deliciarum. Quomobrem ecclesiam beate Marie in Rothe pro retributionis eius spe et expectatione et ipsius loci religione et sanctimonialium orationis participatione diligere, fovere, promovere tanto propensius intendimus; quanto certius de celo remunerationem expectamus. Noverit igitur etas hodierna et iuniorum successio futura, quod Bernolfus de Hokenbeke decimam xx malciorum in m<sup>or</sup> villis sitam et colli-

gendam in Lischen, Madenheim, Merenge, Aledwide, domino Hermanno de Lipa cum heredum suorum consensu legitime resignavit, et dominus H., qui primo loco eandem decimam a nobis in beneficio tenuit, omni, qua debuit, sollempnitate in manus nostras eas resignavit. Unde nos memoratam decimam ecclesie sancte Marie in Rode, quatinus mater misericordie nobis propicietur et memoria nostra in illo collegio non minus quam fundatoris perennis habeatur, sincero affectu et pia voluntate perpetua donatione contulimus, banni nostri districtione et impositione tutavimus, scripto nostro memorie commendavimus, sigilli nostri appensione communivimus. Hanc autem donationem nostram, qui servaverit et ratam tenuerit, cum his, qui a dextris erunt, in vitam colligatur eternam, qui vero infringere et contraire presumpserit, cum his, qui a sinistris erunt, si respiscere noluerit, supplicio deputetur eterno. Acta sunt hec publice anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>cc<sup>o</sup>m<sup>o</sup>, in cathedra sancti Petri, in civitate nostra Monasterio, presentibus viris honestis, clericis et laicis, Hermanno maiore preposito, Heinricho de Tremonia, Volmaro canonico, Magistro Emerio; laicis vero comite de Benethem ipsius ecclesie advocato; Adolfo de Westorpe subadvocato, Woltero de Ludenchusen, Gerlago Bittere, Ernesto de Beveren, Hunoldo, Nicolao, Erpone de Benethem, Brunone de Vrekenhorst, Alberto Dapifero.

Orig. Siegel ab. IX. Rep. I. 4. Handschrift: 1) Decima in Leeschen, Meringen, Madenheim, Aelde. 2) Tende to Leische, Madenheim, Meringen, Alwebe. Nach den späteren Registern wurde dieser Schloppzehnte gegeben aus den Erben Tegeber zu Mehringen, Benteling, Hulsmeßler, Everdink, Egberding, Lohaus, Suisken, Böling, Sinterding, Gütte, Doling, Nichten und Dammke in der Gegend

Kreis  
Heinfurt  
S 252

252